

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

De amicorum multitudine libellus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

amputatis. Sin eueniat, vt inimici adulando, nequiciose agendo, causas forenses tractādo, aut operam mercenariam locando in rebus turpibus atq; illiberalibus videantur aliquid potentiae in aulis rebus publicisve consecuti, fructum inde nonnullum percipere: non modo id molestiam nobis obicit nullam, sed & gaudium adferet, nostram libertatē vitamq; puram & contumeliae expertem iis opponentibus. Quidquid enim supra & infra terram est auri, comparari cum virtute non meretur: siquidem Platonem audimus. Est etiam in promptu Solonis illud habendum: 10

*Virtute ni
hil pul-
crus.*

At nos Virtutem non permutabimus horum,

Pulcrasque Virtutis munera, diuitiis.

nedum virtuti nostrae praferamus acclamationes theatrorum epulis corruptorum, aut honores & priores accubitus apud eunuchos & pellices & satrapas regum. nihil enim ho- 15 rum dignum est admiratione aut aemulatione, neque pulcrum, quod a turpitudine proficiscitur, nisi quod amans obcaetur in consideratione rei amatae, & facilius sentimus turpitudinem cum ea ab inimicis admittitur. Caeterum neque conceptum de eorum peccatis gaudium, neque do- 20 lor nobis ob eorum recte facta obortus ociosa esse debent: sed rationes vtrinq; instituendae ita sunt, vt & eorum erratis cauendis praestantiores & imitandis recte factis non deteriores ipsis existamus. 25

PLVTARCHI DE AMICORVM
multitudine libellus.

MEnonem Thessalum, qui in disserendo satis videbatur exercitatus, omninoque in summo (iuxta illud Empedocleum) sapientiae versari culmine, Socrates interrogauit, Quid esset virtus. eumque respondisset satis promte atque proterue, virtutem & pueri esse, & senis, & viri, & mulieris, & magistratus, & priuati, & domini, & serui: Tu vero, inquit Socrates, praclare, 35 qui de vna interrogatus virtute, velut apiarium quoddam virtutum excitasti. non male coniciens, abs ne vnam quidem cognitam habente virtutem homine, plures nominaret. Nonne nos quoque subfannauerit aliquis, qui cum ne vnam quidem firmiter coartraxerimus amicitiam, metui- mus ne

mus ne imprudentes in copiam complurium amicorum incidamus: fere enim perinde hoc facimus, ac si inutilis ca-
 cufve aliquis vereatur, ne in centimanum euadat Briareū,
 aut Argum illum oculorum multitudine nobilē. At qui ma-
 iorem in modum laudamus adolefcētē illum Menandri,
 qui se valde admirari ait vnum quēq; bonorum cui amici
 vel vmbra obtigerit. Iam inter multas alias hæc non est mi-
 nima causa cur nullas amicos paremus, quod multitudinē
 amicorum appetimus, cum instar impudicarum mulierum
 10 sæpe & curi multis cocuntes, primos quosque neglectos &
 dilabentes retinere non possumus. aut potius quemadmo-
 dū Hypsipylæ alumnus ille in prato sedens carpebat alium
 post alium florem confectatus læto animo, vt est apud poetam,
 infantia inutilem reddente delectum: ita quiuis no-
 15 strū studio quodam nouitatis & præsentium fastidio re-
 centi semper & quasi virente capitur amico, ac subinde
 mutatur multas simul imperfectasq; ordiens amicitias ac
 familiaritates, & ob amorem eius quem sectatur, præterit
 iam partum. Proinde initio repetito ex ipsa antiquitate, tot
 20 à prisca temporib. seculorum decursum testem & consilia-
 rium rei huius adhibeamus, consideremusq; de veris amicis
 quæ fama sit ad nos propagata. Inueniemus autem binos
 semper amicos memoriæ perhibitos, Theseum & Piritho-
 um, Achillem & Patroclum, Orestem & Pyladem, Pythiā &
 25 Damonem, Epaminondā & Pelopidam. Est enim amicus
 animal vna quidem degens, sed non vt in armento aut gra-
 colorum caterua. & quod amicus dicitur alter ipse, id nihil
 aliud significat quam binarium esse amicitia mensuram. Iā
 neq; seruos, neq; amicos multos exiguo nomismate emere
 30 licet. Quod autem est nomisma quo amici cōparantur? be-
 neuolentia & gratia cum virtute coniuncta. quib. reb. nihil
 rarius fert natura, itaq; valde amare & amari inter multos
 locum non habet. Sed sicuti amnes in multos diuisi alueos,
 imbecilli fluunt ac tenues: sic vehemens amor in animo si
 35 dissipetur in multos, eneruatur. vnde fit vt ea etiam anima-
 lia prolem suam magis ament, quæ vnum tantum gignunt: *Iliad. 1,*
 & Homerus carum filium appellat *478.*
Solum, atq; in senio natum: -- *Amicus*
 scilicet cum alium parentes neque habent neque sperant. *quo modo*
 Nos amicum quidem esse vnicū non volumus, sed inter *deligēdus.*
 reliquos

reliquos sit tarde comparatus, ac qui prouerbio vulgatum illum salis modium nobiscum ederit: non ita adscitus, ut hodie qui semel vna potauerint, aut pila luserint vel alea, aut ex caupona, palæstra, forove vna discesserint, amici leguntur. Porro cum in hominibus diuinitum aut procerum magnam vident turbam hominum salutantium, præstantium, stipantium, vulgo eorum laudant fortunas tot amicos habentium, atqui in culinibus eorum plures muscas videre possint: neque tamen vel hæc esca, vel illi utilitate sublata manent. Enim uero ad genuinam amicitiam tria requiruntur potissimum, 10 virtus ut pulcrum, consuetudo ut iucundum, usus ut necessarium. Nam & cum iudicio recipiendus est amicus, & consuetudo læta esse debet, & usus occasione exigente præstus. quæ omnia multitudini amicorum aduersantur, maxime, quod principem locum in hac re obtinet, iudiciū. Etea im 15 non parum temporis requiritur ad deligendum qui in choro recte colloquantur, remosve pari incitatione ducant, aut rem familiarem probe administrant, vel liberorum paedagogi utiliter sint futuri: nedum subito inueniri queant amici omnem vna parati subire fortunam, ac quorum quisq; 20

Socium secundis esse rebus te velis,

Tuum nec auersetur infortunium.

Neque nauis ad tantas tempestates in mare deducitur, neque locis munitiones, aut portubus claustra ac aggeres obiciuntur tot tantorumque periculorum metu, contra quot 25 aduersitates auxilium & præsidium pollicetur amicitia veteræ probatæq; constantiæ. qui vero non explorati se pro amicis ingesserunt, eos cum instar pecuniæ improbæ exploramus & deprehendimus, vel gaudemus si se subdixerint, vel si adsint, optamus iis liberari. Est vero graue, & nequaquam facile, amicitiam quæ displiceat dissoluere. Sed quem 30 admodum perniciosum ac molestum nobis cibum neque possumus sine damno & dolore retinere, neque talem qualem sumimus eiicere, sed sædum & aliis confusum rebus atq; terrum: ita malus amicus, aut nostra & ipsius cum molestia nobis adest, aut per vim cum odio tanquam fel eiicitur. Non itaq; facile recipere debemus, neque temere coniungi cum quibusuis nos compellantibus, neq; amare eos qui nos sectantur: sed potius sectari dignos amicitia. Non enim semper dignum est quod amplectare quidquid facile para-

paratu est. nam vt ericam & rubum, quæ nos apprehendūt, caleantes & dimouentes ad oleam vitemve ferimur: sic non debemus perpetuo eos qui se nobis applicant admittere in amicitiam, sed ipsi potius eos apprehēdere, quos experti sumus dignos esse amicitia, vsuique futuros. Sicut igitur Zeuxis quibusdam culpantibus quod tarde pingeret, respondit, Fatei se, multum se temporis in sumere pingendo, quia in multum tempus vellet ea durare, quæ pinxisset: ira multo tempore probata amicitia, perdurabit. Quid? facile non est multos simul amicos diiudicare, cum multis simul versari facile? immo autē impossibile est. At qui consuetudo id est, quo fruimur amicitia: neque dulcius in se quicquam ea habet præsentia & vitæ societate.

Consuetudo amiconum.

15 *Non erēnim viuis sociis absentibus inquam
Consilium capiemus.--- & de Vlyse Menelaus:
Nec nos extrema citius diuelleret hora*

Odys. 3.

Mutua præbentes, sit amicum est, gaudia quicquam. 179.

Contrarium amicitia multos complexa præstat. Simplex enim amicitia conducit, conciliat, & continet compactos colloquii & officii,

*Ceu nines partes immissa coagula lactis
Constrinxere,--- vt Empedoclis vtat verbis.*

15 lem enim amicitia vnitionem & coitionem vult efficere. Multiplex vero illa dissipat, auellit, auertitque, alias alio auocans, neque finit beneuolentiam consuetudine circūfusa ac coeunte coalescere aut agglutinari. Atque hinc statim oritur officiorum inæqualitas & ineptus in iis obeūdis pudor. Facit enim multitudo amicorum vt inutiles sint ex partes amicitia, quæ vtilis esse debebant. cum alij aliis hominibus
30 mores, diuersa diuersis curæ sint. neque enim omnium eodē incitantur ingenia, neque omnium eadē est fortuna quibus cum viuimus: & occasiones rerum agendarum sicut & venti nauigantibus aliquando aduersæ sunt, aliquando secundæ. Quod si omnes amici eadem opera aliquando indige
35 ant, sufficere omnibus difficile est consultantibus, rempu. gerentibus, ambientibus, aut hospites excipientibus. Sin eodem temporis articulo diuersis negociis & studiis dediti simul postulent, alius vt nauiganti comitem te præbeas, alius vt ei causam dicenti suam adsis, alius vt cum in reo aliquo accusando adiuues, alius vt ementi vendentive operā

naues, alius vt nuptiali eius sacrificio interfis, alius vt funus
Ex Sophoc, vna deducas: ibi vero in ista amicorum multitudine
tyranno. *Sufficit plena vrbs, & est paucibus,*

Et gemibus. -- ibi neque omnibus præstare officium possis, & nulli, absurdum est, & multos offendere dum vni te das, durum. Non enim quisquam æquo fert animo negligi se, qui amat. immo negligentia amicorum minus succensent, & absq; ira huiusmodi excusationib; placantur, quibus obliuio præscribitur. Qui autem sic se excusat, Non adfui tibi in iudicio, aduocatus enim fui alterius amici: Nō in uisi te febricitantem, quod alteri amicis conuiuium præbenti nauau operam: dum ob alterius curā hunc se negligisse fateatur, non diluit offensam, sed auget adiecta riuilitatis materia. Sed nimirum multi tantum considerant quæ commoda percipi ex amicitia possint, non obseruantes quid oneris interim ea imponat: neque meminerunt debere multis vicissim inseruire eum, cuius multi inseruiuerunt vsibus. Sicut igitur Briareus centum manibus cibum in quinquaginta inferens ventres, nihil eorum aliquo amplius habuit, qui duabus manibus vni ventri sufficiunt: ita amicitiarum utilitatibus etiam hoc adest, quod iis qui fruitur, multis opus habet inseruire, & occupationum, certaminum, laborumque multorum partem sustinere. Neque enim audiendus est Euripides sic præcipiens,

Hippoly.

Mortalium mediocres esse enim decet

Vsus amoris mutui, & solubiles,

Nec ad medullas penetrare intus & ultimas:

Intendere si passis facile aut remittere.

scilicet veluti gubernaculo nauim, ita vt vsib; amicitias ver-
 fes. Hoc vero, mi Euripides, ad inimicitias transferamus, iu-
 beamusque contentiones esse mediocres, neque pertinere
 ad intimam animi medullam, sed odia, iras, querelas, suspi-
 ciones ita suscipi, facile vt aboleri possint. Id autem hic po-
 tius nobis præcipe Pythagoricum, Ne multis manum ini-
 ciamus: hoc est, ne multos faciamus amicos, neque multis
 communem & quasi publicam amplectamur amicitiam,
 & in contrarium ** quæ multos secum affectus trahit, de
 quibus vna cum amicis anxium esse, molestia affici, laborare,
 pericula subire, res est non plane intolerabilis in genuis
 ac generosa indole præditis. Verum autem est illud Chilo-
 nis so-

nis sophistæ, qui dicenti nullum se habere inimicum, respondit: videris tu mihi amicum etiam nullum habere. Inimicitia quippe statim comitantur amicitias, iisque sese implicant. neque fieri potest vt amici non fiant iniuriarum, in-
 5 gnominiarū, odiorūq; participes. inimici enim amicum eius quē oderunt, suspectum illico habent, maleque ei cupiunt: amici sæpenumero inuident, obtrectant, & circumagunt. Oraculum Timeisæ de colonia ducenda quærenti, responsum fuit,

10 *Quare examina apum, & sparum & habebis abunde.* *Damna ex amicis.*

Ita qui amicorum gregem quærunt, incauti in examina inimicorum incidunt. Neq; vero eiusdem sunt pōderis, inimici iniuriarum memoria & amici gratia. Considera quomodo Alexander tractauerit Philotæ & Parmenionis amicos
 15 atq; familiares: vtque Dionis amicos Dionysius, Plauti Nero, Seiani Tiberius transferint atq; necauerint. vt enim Crediti nihil profuit filia aurum & diuitia, sed ignis subito inflammatus ac currentem amplectentemque concremauit: sic nonnulli cum ex secundis amicorum rebus nullum ceperint fructum, calamitatis eorum & exitij fiunt comites, quod maxime vsu venit philologis ac scitis hominib.
 20 sicut Theseus Pirithoo pœnas danti vinctoque

Compedibus alligatus est perennibus.

In parte ait Thucydides maxime eos qui virtutem affectarent, dum sibi ipsis non parcunt, sed suos inuisunt, vna cum ægotantibus periisse. Itaq; virtute non ita est abutendum vt eam aliis alligemus atq; implicemus: sed dignis eius est seruanda communitio, hoc est iis, qui vicissim eodem modo
 25 amare & cōmunicare possunt. Etenim id omnium maxime
 30 multitudinem amicorū impedit, quod origo amicitia ex similitudine est. Cū enim bruta cum disparibus misceantur non nisi inuita, subsidantq; & subterfugiant, cum sui autem generibus libenter mutua quadam affectione sociata coeant: qui possit existere amicitia vbi mores sunt diuersi, affectus dissimiles, vitæq; instituta discrepantia? Nam concentus quidem neruorum ex contrariis sonis conflatur, acutis & grauib. vtcunq; similitudinē quandā gignentib. Amicitia aut cōcentus, nullā vult partē esse dissimilē aut inæqualē: sed oportet omnia dicta, sensa, cōsilia, & affectus inter se cōuenire, veluti vno animo in plura diffuso corpora. Quis ve-

Similitudo amicitia origo.

ro est ita laboriosus & mutabilis & varius homo, vt se multis similem reddere atq; accommodare velit, ac non potius Theognidem rideat sic præcipientem:

Polypodis mentem Versuti sume, sub omni

Qui visu prabet se similem lapide.

Atqui polypodis mutationes non penetrant intro, sed in ipsa fiunt superficie, densitate & laxitate sua defluxum recipientem rerum vicinarum. Amicitia est mores, affectus, sermones, studia, & animi sensum exæquare. Protheus vero sit quidam infelix, neq; adeo bonus, qui subinde præstigiis quibusdam ex alio sese in alium transformet, legat cum litterarum studiosis, in arena sit cum palæstræ deditis, venetur cum venationem amantibus, cum ebriosis potet, cum ciuilibus comitia obeat, neq; proprios habet suarum actionum lares. Sicut autem philosophi naturam siue materiam formæ ac coloris experte, vt subiectum, sui mutationibus aiunt modo incendi, modo humectari, & alias in aerem dissolui, alias condensari: ita amicorum multitudini subiicere oportebit animum multiplicem, versatilem, mobilem, & facile mutabilem. Cæterum amicitia stabile requirit quippiam, & immutabile ingenium, quod eandem retineat consuetudinē. ideo rarus & inuentu difficilis est constans amicus.

PLVTARCHI LIBELLVS DE

Fortuna.



Itam regit fortuna, non sapientia,

dixit quidam, res humanas non consilij dexteritate, sed fortuito dispensari sentiens. Quid ergo? neq; iusticia, neq; æqualitas, neq; temperantia, neq; modestia res humanas dirigunt? sed à fortuna & propter fortunam factum est vt in sua perseueraret Aristides paupertate, cum parare diuitias sibi posset? & Scipio Carthagine capta nihil prædæ neq; videret neq; acciperet? & Philocrates accepta à Philippo pecunia meretrices ac pisces emeret? Lasthenes & Euthyocrates ventre ac rebus turpissimis meriti felicitatem, Olynthum perderent? Alexander Philippi F. captiuis mulieribus cum ipse abstineret, tum vim facientes puniret? Alexander autem Priami F. aduersa fortuna eo adactus est vt stuprum hospitis vxori offerret, eaque abducta